



1704.

1. Boelwerus, Johannes Henricus: De sponsalibus.

1705

1. Schreyer, Johannes Georgius: De jure haesumendi
lantiorum et herierum cum exercitu.

1706.

1. Felzius, Johannes Henricus: Excerpta controversiarum
iustitiam de actionibus.

2. Felzius, Johannes Henricus: Excerpta controversiarum
iustitiam de negotiis gestis.

3. Felzius, Johannes Henricus: Excerpta controversiarum
iustitiam de adiunctio.

4. Felzius, Johannes Henricus: Excerpta controversiarum
iustitiam de compositionibus.

5. Felzius, Johannes Henricus: Excerpta controversiarum
iustitiam de sponsalibus.

1707.

1. Corberon, Nicolaus de: De testamento patris iher liberos

1707.

2. Felzias, Iohannes Heinricus : De statis nobilitatis immo-
dialia. 1. R. T.
3. Felzias, Iohannes Heinricus : De Excerpta controversiarum illustrissimam
de jure et eius officio
4. Felzias, Iohannes Heinricus : Excerpta controversiarum illustrissimam
striam de arbitris
5. Felzias, Iohannes Heinricus : Excerpta controversiarum illustrissimam
de iudicis
6. Felzias, Iohannes Heinricus : Selecta juris publici controversiae
de fundis imperii
7. Hemingerus, Iohannes Sigismundus : Thesis anatomical in theatro
anatomico pruentinensi
8. Klinglin, Franciscus Troeplius : De successione foeminarum
in fundo Franco.
9. Archelius, Ilius : Syllae theoria mathematicarum
10. Schreyer, Joh. Georgius : De duellis principianis.

1708

1. b. c. Berckheim, Petripon Fridericus de; De constitutio nobilitatum. . . . 3 Augst. 1708 - 1736

2. Faust, Samuel: De illegitimis circa legitimam gravamen. mitibus

3. Felzius, Jakobus Henricus: Sacra contra verius usum iustitiam de libetis illegitimis

4. Felzius, Jakobus Henricus: De jure successorum nobilitatum in fidelis.

5. Felzius, Jakobus Henricus: De renovatione iuris iustitiae a smalliori iuris iustitia petende.

6. Klie, Franciscus Gabriel: De modis acquirendis dominium.

7. b. Lenz, Terentius Jacobus: De jure principum.

2 Sept. 1708 - 1780.

8. Hadane, Antonius Josephus: De multa pauc' tentiali

9. Schottel, Joh. Henricus: De praelitis iuribus pacis

10. Schuhmacher, Joh. Nicolaus: De alienatione fundi defalatis

1151

in der Regel während seines Aufenthalts in den
Jahren 1877-1878. Nach dem
durch die politischen und praktischen
Veränderungen eingetretene : Sowjet Russ.
Zur Zeit der russischen Revolution, 1917-1918,
wurde er als Adjunkt der Universität von
Kiew ernannt, wo er sich
auf die Entwicklung des sozialen und politischen
Lebens konzentrierte. Er wurde nach
seiner Rückkehr nach Russland, wo er
seine Arbeit fortsetzte, wieder zum Professor
der Russischen Universität von Kiew ernannt.
Nachdem er sich jedoch auf die
sozialen und politischen Veränderungen
in Russland konzentriert hatte, wurde er
zum Professor der Russischen Universität von
Kiew ernannt. Er wurde wieder zum Professor
der Russischen Universität von Kiew ernannt.



THE FRIDIGA
S P R A C H E
H E R M A N D
D I C H T U N G
V O N
JOHANNIS HENRICI
BOLCERI,
D. J. & J. F. F. F. O. D.
V. T. S.
G E L A N D E
V O N
L I E B E
U N D
F R I E D



Q. D. B. V.
DISSE^TRAT^O IN^AUGURALIS
^{DE}
**TESTAMENTO
PATRIS
INTER LIBEROS,**

Quam,
Decernente ita Inclita Facultate
Juridicâ,
Praeside Supremo juris Arbitro
Pro consequendis juribus & privi-
legiis Doctoralibus in utroque jure
in Regia Argentoratensium
Universitate
SOLENNIORI disquisitioni sistit
ad D. 22 Decembris Anno Dom. M DCC VII.
NICOLAUS DE CORBERON,
Metensis.

ARGENTORATI,
Literis DANIELIS MAAGIE

6 & 2 N

DIESSEITEN D. INNIGE S. WILS

TESTAMENTO
PATERIS
JACOBUS LIBEROS

CONFIDENS ET CONFIDENS

ANNO 1538 ANDRÆ LIBERUS

IN LIBERIA VILLE

ANNO 1538

TESTAMENTO

IN LIBERIA VILLE

TESTAMENTO

IN LIBERIA VILLE



B. C. D.

Excerpta

Controversiarum Illustrium
de
TESTAMENTO PATRIS
inter liberos.

Præloquium.

Equidem Romanie-
gislatores, postquam
sub initium Reip. li-
beræ præter natura-
lem succedendi ordinem sole-
mni Lege introduxerunt, ut
libera unicuique de bonis suis
in casum mortis disponendi
competeret facultas; in id sum-

A 2

mo

mo incubuerunt studio, ut integra ultimis hominum voluntatibus constaret certitudo, nec illæ dubiis aut controversiis facilé fierent obnoxiae. Itaque singulari omnino scrupulositate multa constituerunt solemnia, quæ valorem testamento vel scripto, vel nuncupativo conciliarent, quibus que deficientibus effectum illa civilem actionis in foro producendæ non fortirentur. Cum enim natura eo potius inclinet, ut proximis de familiâ suam quisque hæreditatem relinquat, id autem quivis præsumatur velle, quod naturæ huma-

ONI

S A

... (3.) ...

humanæ & rectæ rationis dictamini est conveniens ; hinc ille, qui contra hanc præsumptionem vult disponere , clarissime & apertissime voluntatem suam testari , & , qui liberitate à legibus concessâ frui cupit,& requisitas, ab iisdem solemnitates observare merito debet. Verum, quia tamen, quidquid hoc iuris est , à voluntate & arbitrio Legislatoris civilis unice provenit; citra dubium ille , qui regulam condidit, potuit eidem etiam ex iustis causis addere exceptiones. Ita meritis militum in Rem. pub. & rerum civilium excusabi.

A 3

sabi.

sabili ignorantiae , rusticorum
simplicitati, necessitati temporo-
ris & periculo in peste , pia-
rum causarum favori hoc in-
dulserunt dederuntque LL. ut
ab exactitudine observanda-
rum solemnitatum per privi-
legium talia testamenta censem-
entur esse exempta. Accen-
setur ipsis dispositionibus pri-
vilegiatis per constitutiones
demum Imperatorias l. 15. C.
fam. ercisc. leg. 21. §. 1. C. de
testam. Nov. 107. cap. 1. etiam
*Testamentum patris inter li-
beros* ; quod, quia illis bona de-
stinat, quibus & ratio naturalis
addi-

❧) . (❧

addicit teste JCto *in L. 7. ff.*
de bon. damn. & voluntas
Dei revelata, ad Gal. IV. v. 7.
certe tot tamque variis ceri-
moniis opus habere non debet,
quot habent alia testamenta;
præcipue, cum arctū conscienc-
tiæ vinculum iam obstringat li-
beros ad id, ut voluntati Paren-
.tum obtemperent. Cæterum,
cum interpretatio diutarū Con-
stitutionū non careat scrupulo,
sed potius largam quæstionum
suppeditet messem, inde pauca
delibare animus est, per quæ
Dissertationi Inaugurali insti-
tuendæ dignum suppetat argu-
mentum. Sit itaque

Con-

Controversia I.

*An valeat testamentum Pa-
tris inter liberos, si sit ra-
tione voluntatis imperf-
etum?*

Casus erit evidentior sub exemplo:
Titius v. g. incipit testamentum
condere inter liberos, verum, dum
disponit, filum & contextum dispositio-
nis mors abrumpit inopinato superveni-
ens, ita, ut hoc negotium absolvere, & de
omnibus bonis, quid post mortem suam
fieri velit, nequeat constituere.

Validitatem legalem huic ultimæ vo-
luntati paternæ primum illud conciliare
videtur, quod in loco & sede propriâ hu-
jus testamenti in *leg. nimirum 21. C. de Te-
stam. in §. 1.* diserte Theodosius & Valen-
tinianus Impp. sanciant: *ex IMPERFE-
CTO testamento voluntatem defuncti te-
nere,*

(7.)

nere, si inter liberos à parentibus habeantur. Neque obstare videtur, quod ita pater talis pro parte testatus, pro parte intestatus decedere videatur; inter quæ tamen *naturalem* pugnam esse tradit Pomponius in l.7. ff. de R. f. Id enim, uti dudum eruditiores observarunt interpretes, non est de jure naturali capendum, ac si huic esset contrarium, ut quis partem bonorum suorum relinquat iis, quos in testamento designat, reliquâ proximis consanguineis ex ordine legis addicât; sed de naturâ successioni à legislatore Romano ex libero suo arbitrio *indicata*. Jam vero, si hoc ad solennia iuris civilis tantum pertinet, liber ab eo jure suo erit ex tenore privilegii inter liberostestaturus. Accedit, quod impium sit & inverecundū voluntati parentum quocunque modo declaratæ contravenire velle; sicut ergo hoc obtinet, si integra voluntas pateat, ita etiam obtinebit, si ex parte tantum de eâ constet. Quo haud male refertur vulgare illud: *quod ius-*

B
ris

ris est in toto , juris est in parte . Sed & huic sententiæ videtur patrocinari textus in Novell . 107 . cap . i . ubi dicitur : Si voluerit IN quibusdam REBUS CERTIS aut o- mnes aut quasdam institutiones statuere , et harum inscribat significaciones , valere debe- re . Ergo videtur de quibusdam rebus pos- se testari , aliis legis dispositioni relictis , præcipue , cum inter illos disponat ipsos , ad quos tota esset , hac dispositione cessante , deuentura hæreditas ,

Verum enim vero malumus tamen in eorum nos Doctorum partes ire , qui cen- sent , in casu prædicto , si scilicet ratione ipsius voluntatis deprehendatur aliqua im- perfectio , nec parentis inter liberos testa- mentum subsistere posse .

Sane eadem hic ratio militat , quæ in universum adducitur a Javoleno JCto in l . 25 . ff qui testam . fac . poss . si is , ait , qui te- stamentum ficeret , hæredibus primis nunciu- patis , prius , quam secundos exprimeret , hæ- redes

(9.)

redes (quales tamen eum pronunciare voluisse constet) obmutuisset, MAGIS COEPISSE EUM TESTAMENTUM FACERE, QUAM FECISSE. Voluntas autem in quovis testamento debet esse certa, unde Card. Mantica de conject. ult. vol. ait: Substantiam testamenti in voluntate consistere, quæ debet exprimi plene vel per Scripturam, vel per vocem seu loqueland apertam, & hæc sine interitu ipsius testamenti abesse non potest. Itaque, quando testamentum nostrum dicitur imperfectum, id non est exponendum absolute; si enim formam ejus internam, quam LL introduxerunt, intueamur, eandem illud perfectionem habet in suo genere, quam habet testamentum solenne in suo. Verum imperfectum vocatur, in respectu perfectioris testamenti, quod solennitatibus omnibus est instructum, adeoque idem est, ac si appellaretur testamentum minus solenne, sive imperfectum ratione solenni.

B 2

tatis

tatis , non ratione voluntatis. Neque porro male hic applicatur principium illud, quod nemo pro parte testatus , pro parte intestatus decedere queat ; quia , licet J. N. sanctioni non possit adscribi , universalem tamen Romanæ Legislationis regulam constituit , à qua non alii ac milites , nec ullib[us] Parentes inter liberos disposituri excipiuntur. Valebit proin & in nostra hypothesi axioma , quod in alia tradit Imp. l. pen. C. de his , quib[us] ut indign. nihil actum esse credimus , dum aliquid agendum supereft.

Controversia II.

An uxori Legatum in hoc testamento possit relinqui?

PRæsupponenda est sanctio Imperatoria circa hoc testamentum , quod inter solos liberos valere debeat ; si vero , ait Justinianus Leg. 21 §. 1 Cod. de Testam. in hujusmodi voluntate liberis alia sit extranea mix-

mixta persona, certum est, eam voluntatem defuncti, quantum ad illam duntaxat personam pro nullo haberi, sed liberis accrescere. Neque ille nove hoc jus constituit, sed repetit tantum, quod à Constantino jam Imp. in Sæculo IV^o erat constitutum, vid. L. xxvi. C. fam. erc. Hic ergo disputatur, utrum sub extraneis personis & uxor censeatur excludi?

Non videtur, quoniam absonum est, eam vocare personam extraneam, cum qua arctissimum societatis conjugalis vinculum est contractum, quo quippe inter homines vix datur arctius. Mater illa est familiae, regiminis domestici aliqua ratione consors, quæ marito non sine molestia parit liberos, mutui amoris pignora. Quæ, si pater justo complectatur amore, quidni & æqua dilectione prosequatur matrem, quæ una cum ipso est caro, unum corpus, & una anima? Quod si proinde communis sententia habet: legatum personæ di-

lectæ relictum, ex quovis testamento non
solenni præstandum esse, id sane vel ma-
xime obtinebit in uxore, cui omnis debe-
tur amor. Stabilitur autem adseratum il-
lud vulgare Juris Romani textū illustri, L.
nimirum xxxviii. ff. de fideicomm. lib. ubi
Paulus JCtus hunc proponit casum: *in te-
stamento, quod perfectum non erat, ratione
solennitatum, pater alumna sua libertatem
& fideicommissa dedit;* alumna, postquam
pater humanis rebus valedixerat, à liberis
manumittitur, quæsivit Imp. in consisto-
rio, an etiam ad præstandum fideicom-
missum adigendi essent liberi. Pronuntia-
tum fuit, piros filios debuisse manumitte-
re eam, *quam pater dilexisset,* igitur recte
eam manumissam, & ideo fideicommissa
etiam ei præstanta. Decidit hic Impera-
tor ex testamento imperfecto, cui privile-
gia tum nondum asserit concessa, liberos te-
neri ad fideicommissa præstanta alumnæ,
quam pater dilexerat; ergo multo magis
haec

hæc decisio hodie locum habebit, ubi privilegium tenorem habet tale testamentum, & supponitur uxori legatum, quam, si supponamus, matrem liberorum, non maritus tantum sive pater, sed & ipsi liberi intensissimo amore diligere tenentur.

Verum enim vero nos, uti uxerem non posse hæredem institui in hoc testamento, ita nec eidem legatum relinquere valere, arbitramur. Facit huc, quod in genere legata & fideicommissa ex imperfecto testamento non debeantur; quale vero nostrum meritò censetur, si ad extraneos respiciamus. Habet equidem, uti supra dictum, perfectionem suam & effectum plenum sortitur, sed ex jure privilegii, quod parentibus datum est tantum intuitu liberorum, & ad liberos restrictum. Itaque extraneus hic est omnis ille, qui non est de numero liberorum, quamvis arcta de cætero testatori conjunctione sit unitus. Nec licet in his talibus, quæ in favorem alicuius

jus

jus jure singulari sunt introducta, ob identitatem rationis prætensam rem trahere in exemplum & consequentiam. Et quis probaret, eandem hic subesse causam? an ratio naturalis æque dicetur addicere mariti bona uxori, uti addicit parentum hæreditatem liberis? Nemo hoc propugnabit, opinor. Neque vero hic opus est ulteriori ratiocinio, postquam Imp. Justinianus diserte plura & nominatim testes requirit in casu, ubi Parens uxori aut extraneis personis voluerit relinquere legata aut fideicomissa *Nov. cvii. cap. i.* Ergo hoc testamentum privilegiatum sub ratione privilegii legata uxori relictæ non comprehendit. Quod attinet *L. xxxviii. ff. de Fideicomm. libert.* ibi liberi agnoscendo unam partem voluntatis, reliquas partes quoque agnovisse censentur, & suo sibi facto præjudicasse, ita, ut haut male post voluntati defuncti plenius satisfacere compellerentur. Ratio autem ab eo petita,

quia

... (15.) ...

quia dilexerat, nimis generalis est, nec ad obligationem civilem concludit, alias sequeretur, omnia testamenta debere observari, licet illegitimo confecta modo, quia testator semper præsumitur eos dilexisse, quibus aliquid in ultima voluntate sua relinquit.

Controversia III.

An dispositio de testamento inter liberos pertineat etiam ad nepotem, cuius pater adhuc vivit?

Casus hic est: Titius testamentum jure privilegii inter liberos facere volens, habet duos filios, Mævium & Sempronium, & ex Sempronio, qui adhuc in viuis est, nepotem Cajum. Inter alia capita testamenti sui & hoc constituit, ut Cajum instituat hæredem; quæritur, utrum

C

&

& hujus respectu privilegium de omittendis
solennitatibus suum tenorem exerat?

Affirmant plures, eo in primis nisi fundamento, quod in *S. i. l. 21. C. de Testam.* generaliter sanciatur, ut parentes inter liberos ex hoc capite possint testari; jam vero constat, quod parentum nomine omnes ascendentēs, & liberorum voce omnes vicissim descendentes veniant; unde Dionysius Gothofredus, JCtus Gallus, hujus olim Academiae Antecessor in notis ad *d. l. ait*: *liberos cum dicimus, in infinitum intellige liberos.* Evidem in *l. fin. C. fam. ercisc.* Constantinus Imp. sancit: *inter omnes DUNTA-XAT heredes suos, qui ex quolibet venientes gradu, tamen pares videntur esse &c. defuncti dispositionem custodiri debere, etiam si solenitate legum fuerit destituta.* Sed existimant adsertoriæ opinionis patroni, hunc textum esse per generalitatem citati *supra S. i. correctum & emendatum,* ita, ut ad omnes *jam liberos, citra distinctionem*

Etionem, an primi an secundi gradus, an pares sint, an impares, censeatur hoc jus pertinere; verba enim generaliter posita, generaliter quoque accipienda. Cui rationi porro & altera accedit, quod scilicet nepotes, etiam si remotiores filii, æqualem tamen cum his reverentiae vinculo erga avum teneantur, & voluntati ejus, licet sine solennitate declaratæ obtemperare debant. Et est sane hæc communis ferre & in praxi etiam hinc inde recepta DD. sententia, in nepotum favorem tendens & emolumentum.

Cæterum in puncto juris contrarium tamen facilius defendi posse arbitror. Certum est enim, id in *leg. fin Cod. fam. ercisc.* fundatum esse. Itaque, si non doceatur esse hoc abrogatum, cur stare prohibeatur? Jam autem verba d. *L. per L. xxii. C. de test.* esse correcta, non satis inde probatur, quod Imp. generaliter in illo loquatur. Nam hic ipse s. se refert ad *L. Fin. C. famil. er-*

cis. Itaque potius est , ut dicamus , generalitatem in illo prolatam restrictionem suam & limitationem & determinationem ex hac recipere debere. Et sane communis equidem regula est , quod LL. posteriores derogent prioribus , verum debent id expresso tenore facere ; sunt enim , si aliquid contra jus commune inducant , stricte interpretanda , neque præsumptio correctionis locum habet in iis , quæ specialiter non sunt expressa. Licebit huc referre Regulam Pauli JCti in l. xiv. ff. de Leg. & Sct. quod contra rationem juris receptum est , non est producendum ad consequencias , deductū ad hypothesis ab Impp. Theodosio & Valentiniano in L. xxxii. §. 6. C. de Appellat. ubi , postquam circa appellationis jura aliqua correxiscent nominatum , ita subjiciunt : quicquid hac Lege specialiter non videtur expressum , id veterum LL. Constitutionumque regulis omnes relictum intelligent. Adeoque , ut in rem nostram hæc vertamus , extensio , quæ de patre ad

ma-

(19.)

matrem facta est , non videtur trahenda
ad ea , de quibus cogitatum non est , ni-
mirum ad id , ut circa liberos etiam ali-
quid censeatur esse innovatum . Neque
etiam Imp. in Nov. cvii. p̄f. ubi exten-
sam fuisse refert l. fin. C. fam. erc. per l. xxi.
C. de testam. ullius extensionis aut corre-
& tionis circa liberos meminit.

Controversia IV.

*An ad exemplum testamenti
hujus valeat etiam testa-
mentum imperfectum filii
inter Parentes ?*

Dosset in gratiam adfirmantium allega-
ri , quod correlatorum censeatur esse
eadem ratio ; quod , si justum est , ut paren-
tes filii thesaurizent , æquum etiam sit , ut li-
beri Parentibus bona sua relinquant in gra-
ti adversus beneficia summa animi testa-

C 3

tio.

tionem. Facit huc, quod ascendentes etiam ordinem succendentium ab intestato legalem & quidem proximum à descendentium ordine constituant. Et, quod in liberis efficit reverentia erga parentes, ne voluntati nimirum paternæ quolibet significatæ modo refragentur; id in parentibus censetur amor erga liberos operari debere. Quidni ergo idem sit favor in jure liberorum, qui parentum, quoad devolutionem bonorum ad se invicem?

Sed communis tamen sententia, cui & ipse ad stipulor, tendit in contrariam partem, & liberis jus & privilegium isthuc denegat satis utique gravium rationum momentis. Quarum primam deprehendimus in eo, quod extra communes regulas, sive *contra rationem juris communis receptum est*, id extendi aut ad *consequentiam trahi non oportet*. Nec enim in hisce talibus licet ab identitate rationis, ad identitatem juris argumentari. Quin imo vero in nostra hypothesi

ne

ne quidem adest causarum paritas. Parentibus enim hoc tributum est, ut supra inuiimus, ut citra consuetam testentur solennitatem, quoniam liberi obligati sunt ad obtemperandum parentibus, modo intelligant, quid velint. Estet autem naturae cursum invertere, si parentes ad liberorum voluntatem eadem ratione adstrin gerentur. Neque statui potest, rationem eodem prorsus modo addicere bona liberorum parentibus, quo horum bona addicit illis. Porro, cum LL. de hoc argumen to ex professo disponentes nullam plane mentionem injiciant liberorum, eos ipsos censentur excludere. Ita sane Imp. in Nov. cvii. vult, tum demum *morientium voluntates* ex vi hujus privilegii *observari* debe re, *QUANDO SUNT PARENTES*, scilicet testaturi; ergo non, quando sunt liberi. Sed & vicissim quoad personas, inter quas disponitur, clarissimus est textus in L. xxi. *Cod. de Testam* debere nimirum
hanc

hanc dispositionem valere *INTER SOLOS LIBEROS.* Unde facillima argumentandi ratione deducas, ut sponte suâ fluens: ergo, qui non sunt è numero liberorum, uti in nostrâ hypothesi parentes, inter eos non tenet hæc dispositio.

Controversia V.

An Parentes in hoc testamento & quousque inter liberos inæqualiter disponere possint?

Non desunt, qui requirant æqualitatem omnimodam in distribuendo bona, sed horum ego opinioni calculum dare non possum.

Alii admittunt quidem inæqualitatem, dummodo modica sit, nec magni momenti.

Priores se fundant in eo, quod æqualis

lis liberis videatur deberi amor, unde & naturalis æquitas æquale jus liberis in bonis hæreditariis tribuat; quo ex jure civili pertinet textus *L. xxxii. ff. fam. erc. L. xxi. Cod. cod. L. iii. Cod. commun. utriusq. judic.*

Posterores autem ajunt, nulla dispositione patris opus esse, si velit æquali prorsus & omnimodo jure ad liberos pervenire bona sua; id enim jam futurum esset ex dispositione Legis. Coeterum non debere tamen eam esse magnam, quoniam æqualitas inter liberos alit concordiam, inæqualitas insignis rixas ciet & invidiam.

Verum ego quidem nec huic me sententiæ addico; sed potius censeo, parentibus jus fasque esse, pro lubitu bona sua inter liberos dividere, ita, ut unus longe plus capiat, quam alter, dummodo legitima cuique salva sit; hanc enim citra justam causam nec in hoc privilegiato testamento licet adimere.

Decisionis hujus rationem arcessop

D

pri-

primum ex principio generali, quod & in
jure naturali, & in jure Gentium & in ju-
re civili fundatum est : *quisque rei sua*
moderator est & arbiter, adeoque de iis,
prout vult, disponit, modo id jure aliquo
non sit specialiter prohibitum. Adde ra-
tionem specialiorem, quod scilicet ultimam
parentum voluntatem valere jubeant LL.
Romanæ, citra distinctionem, an æquali-
tatem Pater servaverit, annon ; ubi ergo
LL, non distinguunt, ibi nec nos distin-
guere debemus. Quin imo injungitur Pa-
tri inter liberos testaturo, ut certas deter-
minet uncias, ex quibus quemque liberorū
velit succedere ; quo sane opus non
foret, si ex æquo omnia essent dividenda;
id enim fieret citra testatoris dispositio-
nem, ex ipsam Legis dispositione, quæ
nullam in successione liberorum, si pares
sint gradu, differentiam agnoscit. Et est
hoc analogia juris Romani omnino con-
forme, ut, si legitima relinquatur cuique ex
libe-

liberis, nemo habeat, quod queratur; de reliquis enim bonis liberum merito Parentibus arbitrium relinquitur. Unde & uni filiae e. g. major dos constitui potest, quam alteri; & uni ex liberorum numero longe opimior conditio fieri in prælegando, quam alteri. Cujus equidem rei justissimas habere potest rationes, aliquorum ætatem teneriorem e. g. obsequium majori præstatum exactitudine; mores honestiores &c. Sed & sæpe contingit, ut liberi minus bene se gerant adversus Parentes, ita tamen, ut in justam & legitimam exhaeredandi causam id non incidat; hic sane æquum est, ut parentibus, ad refrænandam vel & puniendam liberorum petulantiam, licet usque ad legitimam saltem portionem eos hæreditate privare.

D 2 Con-

Controversia VI. *An in testamento Parentum privilegiato liberis possit dari tutor?*

V idetur affirmativam ante omnia evin-
cere favor ætatis pupillaris , & inde-
titelæ , in primis testamentariae , qui in eo
fundatus est , quod nemo melius censem-
tur prospicere hac in re posse aut velle præ-
sumatur patre. Unde hæc etiam alias spe-
cies , legitimam & dativam præcedit , ita
ut hic ex juris Romani principiis , disposi-
tio hominis faciat cessare dispositionem
Legis , & anteverat dispositionem magi-
stratus ; adeoque tutor testamento consti-
tutus , ex vigore ipsius testamenti sit tutor.
Neque est , ut in nostra hypothesi oppo-
natur , imperfectum hic esse testamentum ;
id enim , quomodo capiendum sit , supra
tradidimus , docentes , in suo genere esse
per-

perfectum, adeo, ut *quoad liberos effe-*
ctum habeat solennissimi testamenti. Jam
autem tutoris datio liberos unice respicit,
corumque favorem concernit & emolu-
mentum, atque ideo non judicatur mul-
tas requirere solennitates, sed potius sub
jure hujus privilegii & ipsa contineri.

Verum, si de tutori testamentario ve-
rè tali, quique ex analogia J. R. citra con-
firmationem magistratus vim & vigorem
suum ex sola dispositione testamenti deri-
vat, loqui velimus, nego talem esse, in no-
stro qui datus est testamento. Habet
enim hic opus confirmatione, ita rescriben-
te Imperatore in *L. II. C. de confirm. Tur.*
vel Curat. NEQUE per epistolam, neque
ex imperfecto testamento tutorum RECITE,
id est, rite & ut hoc ipso constitutio tutoris
valeat, DAR^I indubitate juris est. SED
voluntas Patris in constituendis tutoribus
vel curatoribus in hujusmodi casibus A⁷U-
DICE, ad quem hac res pertinet, SER-

V A.

VARI sive confirmari *SOLET*. Et sane, si tutor, qui in Codicillis testamento non confirmatis constitutus est, inter testamentarios tutores haud potest computari; multo minus valebit datio in testamento minus solenni parentum inter liberos, cum illi adhuc solennius confiantur. Neque potest privilegium Parentum huc advocari, quod, uti liberorum intuitu unice ipsis concessum, ita non debet ad injuriam & præjudicium aliorum extendi & eo trahi, ac si & extraneum tutorem datum talis privilegiata dispositio obligaret. Ex hac ipsa certe ratione in casu *L. xl. ff. de Admin. & peric. tut.* ubi Centurio impuberi suo filio curatorem, Non accidente confirmatione judicis, constituerat, deciditur: talem curatorem, si nihil administraret, contumacia & negligencia pœnam luere non debere. Facit huc, quod aliquoties jam ex *L. xxii C. de Testam.* in vim regulæ in hoc nostro argumento fundamentalis ad-

adduximus: *inter solos liberos voluntatem defuncti tenere.* Ex qua vero naturali sequela deducitur limitatio dictæ decisionis nostra, quod scil. tunc valitura sit constitutio Tutoris, quando pater unum ex liberis maiorenibus, cæteris Tutorem præfecit; hic enim terminos à Lege præfixos non egreditur, cum liberi sint & qui constituuntur, & quibus constituuntur Tutores.

Cæterum vulgatum est, hodie in primis jure in Germania recepto, confirmandos esse ad id, ut administrare queant, omnes tutores, nec tamen magistratum in confirmando præcise ad testatorum voluntatem adstringi.

F I N I S.



Ad
ILLUSTRISSIMUM
VIRUM
DNUM. NICOLAUM
DE
CORBERON,
Equitem, Supremi, quod Col-
mariae est, Senatus Praesidem
Primarium,

 Ræses Justitiae, Summo quæ judi-
ce Rege
Et populi unanimi, TE duce,
voce viget;
Innumeros inter placidus mea vota clien-
tes

Istaque de grata pignora mente legas.
Facundo cuius mirator ab ore pependi
Olim & divino percitus eloquio,
Quod postquam Alsatice sparsit sua lumi-
na terris,
Me TUA majori gratia luce beat;
Nam.

— 33 — (31.) — 34 —

Namque meo egregium vis sub moderami-
ne gnatum

Discere, prælucet quam Themis alma-
viam. (ne nasci !

O quantum egregio est similem de sangu-
Prævenit ductus ingenio ille meos.

Argentinenses gaudent tanto hospite Musæs
Proque TUA resonant publica vota
domo. (mæ,

Aspice porro TUÆ propius succrescere fa-
Et fruere illius latus honore senex.

Alata vos tellus ambos veneretur, & ista
Arcem Astræa suam construat alma
domo. (alumnū,

Sic, quem nunc Helicon noster dimittit
Patronum Musis sentiet usque suis.

de Gradu Filii Academicō
gratulabundus
E devotissimum Familia CORBERONIANÆ
testaturus animum
scripsit
Facultatis Juridicæ Decanus,

Jo. Henr. Feltz, D.
Pand. & Jur. Can. PP. & Ord.

E

GENE-

GENEROSSISSIMO ac ERU-
DITISSIMO

DNO DE CORBERON,
Inauguraliter Disputanti!

ENTE felicem ! portum Tis sidere
fausto
Appellis Juris, FAUTOR ; quot un-
dice lauri !
Quot rosa fragrant, quæ circa tempora
PATRIS
ILLUSTRIS ! tangant saltēm pia sidera
vota,
Aurea sudori pandet sua viscera regnum.

applaudente animo
& calamo
scripsit

Christoph. de Klinglin,
Eques Alsatus, J. U. Cand.


Straßburg, Drss., 1704-08

ULB Halle
005 359 848

3







Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
TESTAMENTO
PATRIS
INTER LIBEROS,
Quam,
Decernente ita Inclita Facultate
Juridicâ,
(f+)
Præside Supremo juris Arbitro
Pro consequendis juribus & privi-
legiis Doctoralibus in utroque jure
in Regia Argentoratensis
Universitate
SOLENNIORI disquisitioni sistit
ad D. 22 Decembris Anno Dom. M DCC VII.
NICOLAUS DE CORBERON,
Metenfis.

ARGENTORATI,
Literis DANIELIS MAAGII

